

V C
221





4842

Or. 155 (16)

V c
221

TRIUMPHUS
RUTÆ SAXO
NICÆ,

*Subjetissima Devotionis atq; Gratitudinis
causâ,*

Die 2. Julij St. N. ANNO O. R. 1673.

BUDISSÆ, IN ELECTORALI
SAXONICA METROPOLI ILLUSTRIS MAR-
CHIONATUS LUSATIÆ SUPERIORIS,
*Coram solenni LITERATORUM Co-
ronâ, & Confessu,*
Publicâ

Oratione, eâq; Valedictoriâ,
habitâ, humillimè adumbratus

per
MARTINUM-ANDREAM STUBRIZ,
BUDISSA-LUSATUM.



DRESDÆ, Characterè CHRISTOPH. BALMANNI,
M. DC. LXXIII.



REX, ET ARCHI-PRINCEPS, OMNIUM

PIISSIMUS,

Psal. I v. 1. 2. & 3.

וְשֵׁן הַיָּמִין לֹא יִשְׁתַּחֲוֶה וְשֵׁן הַשְּׂמֹאל לֹא יִשְׁתַּחֲוֶה
Wohl dem / der nicht wandelt im Rath der Gottlos
sen 2c. 2c. Der ist wie ein Baum / gepflantzet an den
Wasser = Bächen / der seine Frucht bringet zu seiner
Zeit / und seine Blätter verwelcken nicht / und was er macht /
das geräth wohl :

Ibiq; θεολογικαίτα] & Noster, Dn.

MARTINUS GEIER, Vir & Doctor

etiam sine Titulis Magnus, in aureis Praelectio-
nibus publicis, & Collectaneis.

*Q. Aurelius SYMMACHUS, disertissimus ROMANORUM
Consul, Lib. I. Epist. XXI.*

UBI VIRTUTUM MERITA, IBI HONO-
RUM PRÆMIA.

SERENISSIMO, ATq; POTENTISSIMO

ARCHI-PRINCIPI,

ac DOMINO, DOMINO

JOHANNI GEOR-
GIO SECUNDO,

DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ,

AC MONTIUM, SACRI ROM. IMPERII ARCHI-

MARSCHALLO & ELECTORI, LANDGRA-

VIO THURINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ,

NEC NON UTRIUSQUE LUSATIÆ, BURGRAVIO

MAGDEBURGENSI, COMITI DE MARKA ET

RAVENSBERG, DYNASTÆ IN

RAVENSTEIN &c:

PRINCIPI PIO, FELICI, AUGU-

STO, PACIFICO:

PATRI PATRIÆ OPTIMO-MA-

XIMO:

Domino Nostro Semper - Clementis-

fimo,

Felicitatem Animæ ac Corporis perennaturam!

Res



Ecordare,

SERENISSIME PRINCEPS,
ELECTOR POTENTISSIME,

meritorum, ex fide historiarum publicâ, quibus jam olim Majestatem Imperatoriam Divi FRIDERICI I. Gloriosissimus Majorum Vestrorum, BERNHARDUS II, Primus SAXONIÆ Dux, & Augustissimæ RUTÆ SAXONICÆ Acquisitor, humillimè sibi, Suisq; devinxit Post-futuris. Videlicet: VIRTUTE, GENTIS ANTIQUITATE, SERVITIS FIDELIBUS, FORTITUDINE, & GRATITUDINE.

Eâdem meritorum, & obsequii gloriâ, insimul omnes DESCENDENTES RUTIGERI Thronum SACROSANCTÆ CÆSARÆ MAJESTATIS in ROMANO GERMANICO IMPERIO semper concomitati sunt perquàm-fidelissimi, imò etiam usque ad FATORUM SUPREMA. Cum primis autem AUGUSTISS. SERENITATIS VESTRÆ Parens Sanctissimus, Dn. JOHANNES GEORGII I. Archi-Princeps ELECTOR SAXONIÆ tam Christianissimus, quàm de omnî Europæo Orbe quondam meritissimus, modò inter Cœlites beatissimus Triumphator. Cujus tota vita nil, nisi VERA & OPTIMA OPTIMI PRINCIPIS IDEA, fulgebat in Terris.

De

De Isto enim verè gloriari poterant tunc
Vivi, nunc Divi, FERDINANDUS II. atq; III.

(a) IMPERATORES, cum Summo Auctorum, TACITO: (a)
NULLOS MORTALIUM ARMIS AUT FIDE ANTE GERMA-
NOS ESSE.

Parili studiorum, devotionisque ardentis-
sima genere, post excessum Divi PARENTIS Augu-
stalis, Purpurâ ELECTORALI sanctissimâ in-
dutus, prosequeris huc usq;

PRINCIPUM SERENISSIME,

Augustissimam Domum AUSTRIACAM, modo XV.
electorum Romano-Germanicorum Imperato-
rum, per hanc interrupta CCC. annorum curri-

(b) cula, Parentem felicissimam. (b) Ante omnes
autem Invictissimum ROMANORUM IMPERATOREM,
LEOPOLDUM I. SEMPER-AUGUSTUM.

Hujus namq; in gratiam, Augustus SS.
Romani Imperii per Terras Saxonicas VICARILIS,
superatâ byemis, imbrium, itinerisque difficultate,
anno per CHRISTUM reparata salutis 1658vo,
animosè perrexisti, cum illustri PURPURATORUM

a 3

De-

(a) Annal. XIII. 55. 5. (b) die 1. Octobr. A. CHR. 1273. RU-
DOLPHUS I. Comes Habsburgensis, ex Domo Austriacâ oriun-
dus, unanimi Electorum Imperii Consensu, ROMANORUM
REX electus est. Huic Animosissimo & Fortissimo IMPE-
RATORI, non sine Omine, Nomen baptismale, RUDOLPHUS,
per anagramma: DO SULPHUR, contigit.

Delecta, FRANCOFURTUM, ad COMITIA ELECTORALIA.

Quo fœdere animorum Sanctissimo vixeritis hæcenus, ULTRA TRACTUM XV. ANNORUM, Totus loquitur Orbis.

Indè etiam factum, uti AUGUST. CELSITUDINIS VESTRÆ Filius unicus, Serenissimus Princeps ac Dominus, JOHANNES GEORGIUS III. Eminentissimus OCTO - VIRATUS SAXONICI Heres, pro tutelâ MODERNÆ Sacræ Cæsareæ Majestatis, & Totius Romani Imperii, pro Aris, Focisque nostris, non ita pridem, in presentissimo armorum furore, temporumq; rabie, TAN QUAM FUTURUS Imperii ENSIFER, cum DEO & Die, fortissimus, unâ Expeditionem Bellicam, CHRISTO Duce, & Auspice CHRISTO, cordatè suscepit, ad Maxima quæq; natus Copiarum Saxonicarû Ductor. Quemadmodum igitur Majores vestri triumphalia RUTÆ SAXONICÆ Insignia Sibi, VOBISq;, illorum Posteris, pepererunt Fortitudine, & Obsequiorum Pictate, Germanorum Genti semper-propria; Ita suprema Cælorum MAJESTAS, Numen Trin-unum, & istius in terris Vicaria Potestas, Augustissimus Romanorum Imperator, Vobis, RUTIGERORUM ARCHI - PRINCIPIBUS, Totiq; DOMUI SAXONICÆ SERENISSIMÆ, etiam vestra promerita, & excubias, pro Divini Nominis gloria, & Imperii securitate, jam susceptas, abundè

repensabunt. Neque deerit armorum
sanctitati Coelestis Favor, verum,

O NIMIUM DILECTE DEO, - -
THEODOSI nostrorum temporum, LEOPOLDE,
Caesarum Sacratissime,

- - - TIBI MILITET AETHER,
(c) & CONJURATI VENIENT AD PRAELIA VENTI, (c)
si effrenes contra DEI, & ejusdem Apostolicae Ca-
tholicae Ecclesiae hostes, Turcos, aliosque as-
seclas, si contra Finium Imperii, quietisque
publicae Turbatores, conjunctis precibus, Ensi-
bus, Sclopetisque, Laureâ Imperiali, Rutâq; Saxo-
nicâ Coronati, depugnaveritis, unâ cum reliquis
Imperii Electoribus & Statibus fidelissimis, strenuè,
soliq; Omnipotentissimis JESULLI recens-nati bra-
chiolis innixi.

Illud equidem est, quod sub ingressu periculo-
sissimi hujus anni, mox per Jehovæam gratiam decur-
rentis, intrepidus cecini:

Dum NOVUS annus adest, VETUS excubat ipse,
JEHOVA,

DUX EXERCITULUM, Solâq; Nostra SALUS.

Orbis ut occidui feriant modo mille ruina!

STABIMUS invicti nos, PRAEUNTE DEO.

SUA

(c) CLAUDIAN. in tertio Consulatu HONORII Augusti, ibiq; Sum-
mus Criticus, CASPAR BARTHIIUS, Gloriosum Eruditionis Mon-
strum, in Commentario pretiosissimo; & JOH. CLUVERIUS Histo-
riarum totius Mundi Epitome, in vitâ THEODOSII p. m. 353.

(d) *SUAVITER HIC EQUITAT, QUEM PORTAT GRATIA: (d)*
JESU

*Sit tibi gratia EQUUS, sit tibi gratia EQUUS.
VIVIMUS huic soli, huic soli EXSPIRAMUS adæq.:*

*Seu novus annus ADEST, seu novus annus ABEST.
Et quum de Excellentissimâ RUTA SAXONICA Pri-
mogenitus Sanguis ex quatuor filiis meus, proprio,
& spontaneo ingenioli Marte, pronuper, Mense
JULIO, altiora Academiarum loca petiturus, pu-
blicè valedixerit,*

DOMINE INDULGENTISSIME;
*ego, trivialis bujus Declamatoris parens, debiti
subjectissimi mei esse dijudicavi, NUMINI VESTRO
SAXONICO primitias hasce primogeniti litera-
rias immolari.*

*Cognosces indè clementissimè, quemnam pie-
tatis & humillimæ devotionis genium, ardoremq.
â tenerrimis, uti dicunt, unguiculis, instillaverim
hactenùs Gnatis meis. Tales enim VOBIS, per
Favorem divinum, ex legitimo Thoro susceptos
progenii liberos & Clientulos, qui, si non Marte
vel PILO, tamen PRECIBUS exarmabunt, vel STILO
jam olim decorabunt MAJESTATEM RUTÆ
VESTRÆ SAXONICÆ.*

Dum

(d) Thomas à Kempis de Imitatione CHRISTI, Lib II. cap.
IX. §. 1. *Satis suaviter equitat, quem Gratia DEI portat.*

*Dum igitur PERFECTUM poscere ab IMPERFECTO,
IMPERFECTI, imò*

- - in MAGNIS & VOLUISSE sat est;

Eò facilius dabis veniam,

CLEMENTISSIME PRINCIPUM,

*mibi, parenti, Serenificos Vultus AUGUST. CELSITUD.
VESTR. primogenito meo, cæterisq; illig fratribus, in-
ter trivialia adhuc pulpita herentibus, exoratuero.*

*Nosti enim, PATER PATRIÆ Optime - Maxime,
nos Patres avaros esse voti, nec ulla filiorum bona putare
(e) perfecta, desiderio & cupiditate potiori. (e) Ideoque
TIBI, Omnig; Vestra AUGUSTISSIMÆ DOMUI,
FAMILIÆque SAXONICÆ, unice à me, PATRIÆ PO-
TESTATIS vi ac jure, charissima hæc quatuor pi-
gnora nostra humillime dicata atq; mancipata
sunto.*

*Annales ROMANORUM referunt: RUMINALEM FI-
CUM, sub quã inventi ROMULUS & REMUS, Romani
Populi & Imperii Conditores, quondam expositi,
Lupã iisdem in infantiã præbente mammam,
ROMÆ, super OCTOGENTOS & QUADRAGINTA ANNOS, vi-
848. guisse, dein, mortuis ramalibus, & arescente Trunco,
deminutam, donec in novos foetus reviresceret, idq;
(f) prodigiũ loco habitum fuisse: (f)*

*(g) Faxit JESUS, Dulce istud ac Mundo salutare Nomen (g)
b ut*

*(e) Symmach. Lib. IX. cap. 62. (f) TACITUS Hb. XIII. An-
nal. cap. 58. (g) Novell. Constit. Manuel. Comnen. f. Ema-
nuel. c. 1. in pr.*

ut Suffrutex RUTÆ SAXONICÆ NOSTRÆ Eminentissimus VIGEAT, VIREAT, fruticetur, ubiq; Terrarum, Veræ Religionis, atque CHRISTI, cum suo VERBO hinc & indè exulantis, RECEPTACULUM tutissimum, non saltim cum RUMINALI ROMANORUM FICU, ad OCTOGENTOS, & plures annorum excursus, sed perennet potius in secula, seculorum superstes, usq; ad diem illum extremum Censorium, & Panto - Criticum; ubi adventabit JUSTUS JEHOVA JUDEX, modò in PRÆSEPI pro nobis ad PATREM COELESTEM vagiens, JESULLUS Noster, judicaturus, ex fidei, vitæq; normâ, vivos mortuosque.

Dabantur, in ipsâ Vigiliâ Fest. Natalit. JESU CHRISTI, qui ante MILLE, SEXCENTOS, TRES & SEPTUAGINTA annos, inter COELICOLARUM in terris nocturna tripudia, & Seraphinicas Ebucinationes:

GLORIA IN EXCELSIS DEO. & IN TERRA PAX. IN HOMINIBUS BENEPLACITUM:

Mundo SALVATOR, ex Mariâ, semper - Virgine Regiâ, natus & datus, REX REGUM, & DOMINUS DOMINANTIUM, verus & unicus PACIS DATOR, BELLORUMq; STATOR, DEUS benedictus in secula.

Ad quem impresentiarum eadem pro DIA PACE, CHRISTIANO Orbi recuperandâ, reitero de-

votus suspiria, quibus PÆAN SUPER DEUM INFA-
SCIATUM NOSTER PINDARICUS, in anno 1647,
tunc temporis in ELECTORALI Dresdâ, ex ædibus
Arnimianis, Typo publico emissus, inter alia piè
solicitatione PUSIONEM hunc Θεάνθεον inse-
quenti metro, & Soliloquio finali:

Strophe VI.

CHrystalla vagantia, stellas,
Vesperis cœci duces,
Numen ô frenans Magistrum:
Virentis Vere puertiaë, ohe
Da voluptatem otiorum,
PACIS & adjice **NOMEN**;
QUÒ NIVEUM SINE REGNET CÆDE
JUSTUM,
Virginesq; undæ ruant abs Ense,
tutæ.

Antistrophe VI.

SALTET REDIVIVUS UT ORBIS,
FULMINANS CHALYBS EAT
LIQUIDUS DEXTRA GRADIVI;
Aratri vulnere terra gemat
Rursus; ut cantans colonus
Horrida nomina, **BELLA**

De-

Decineret memorante oblivione.
Sarculæ turbet Ceres dentes ari-
stis!

*FIAT! FIAT! & ut FIAT, DICAT IS, qui DIXIT, &
HOMO FACTUS EST, propter Nostrum omnium,
Salutem.*

*BUDISSÆ, in METROPOLI Illustris LUSATIÆ
SUPERIORIS, ex Museo, die XXIV. Decembr. st.
Nostræ, A. O. R. 1673.*

AUGUSTISSIMÆ SERENI-
TATIS VESTRÆ

*Devotissimus,
Subjectissimus,
Humillimus,*

Martinus Stubriz,

Radeburgô - Misnicus,

p.t. apud illustres Curias Electorales Saxonicas Provinci-
ales, quæ Budissæ & Gorlicij sunt, per quinque - de tri-
ginta annos Advocatus causarum, & Collegij Ad-
vocatorum jurat. Ordinariorum Senior.

Ju-

(1) 20
JIVA, JEHOVA, JESU!



Optimus ille,

Viri supra titulos Clarissimi, Auditores omnium Ordinum Honoratissimi,

Optimus, inquam, ille *Lacedaemoniorum* Rex & Legislator, *Lycurgus*, qui primus *Spartanorum* mores emendavit, ægro labantique Reipublicæ statui consuluit, qui tam præclaras denique leges, & ex ipsò Apolline profectas protulit, ut si his uti perpetuò voluissent, sempiternum *Lacedaemonii* habituri fuerint imperium: Is, inquam, duas fortissimas fluctuantis Reipublicæ ancoras esse affirmavit: PRÆMIUM, & POENAM.

O dignam tanto viro sententiam, magisq; , è quercu vaticinã, quàm mortalis ore, prolatam! Quis enim, quaeso, nostrum inficias ire auderet, metu *Pœnæ* multas & gravissimas à Republicã averti ruinas? quis negaret, formidine pœnæ, malos plerunq; odisse peccata, & atrocissima facinora? Hæc, hæc tanquam sepes est, quæ hostium furores sustinet, clades nostras declinat, nobisque asylum præbet tutissimum.

Verum enimverò, si nulla supplicia peccatis extant, nec domus quidem, ut ait *Cicero*, nedum Republica, in- 3. de N. D.
concussa consistere potest. Leges enim, per quas homines in officiò retinentur, vel inusu consenescent, vel fraudulentis artibus circumveniuntur. Quid eã rerum facie regna sunt? Magna latrocinia; Quid principatus? audaciæ & impietatis asyla; Quid civitates? conclamatae

A nequi-

nequitia stabula. Nam impunitas, juxta *Bernbardum*, incuria soboles est, insolentia mater, & nutrix transgressionum. Ea propter fieri non potest, quin innocentes semper pertimescant, & innocentia obruatur, si noxii, quod timeant, non habent. Quando enim facinorosi dimittuntur impuniti, contaminantur letitia & gaudia hominum, ut

perhibet *L.3. C. de Episc. audient.*

O igitur quam

*Crudelis est clementia, Et nocens tepor
Servando fontes, ire perditum bonos;
Misericordia ista læva miseriam creat,
Prævisq; demit civibus metum, probis
Securitatem: nam quid horrendas juvat
Sancire leges, quæ, velut rubigine,
Constrictus ensis, aut inusu torpeant
Aut desplicatu? pœna ni culpas premit,
Quorsum querela?*

Vera veriùs clementia est, jus Rhadamanteum in Rep. exercere, quò is, qui malum fecit, malum ferre jubetur. Et hæc summa & vera est justitia, quam *Hierax* ex hæc, tanquam nobilissimâ, parte definiebat, *τιμωρίας ἀπαιτήσιν παρὰ τῶν ἀδικησάντων*, pœnæ exactionem ab iis, qui priores læsere.

Quamquam verò ex adductis hisce & innumeris aliis, quæ heic allegare & tempus & pagina prohibet, ad oculum pateat, pœnas ad depellendos & cohibendos malorum furores plurimum posse; Longè tamen abest, ut

ut

ut *Caracallæ* symbolo : OMNIS. IN. FERRO. SALUS. ;
vel *Draconis* sententiæ : CAVE. IGNOSCAS ! subscri-
bam, quin potius *M. Aurelii Antonini Philosophi* symbo-
lum amplectar :

- - REGNI. CLEMENTIA. CUSTOS.

Nimiô enim rigore homines in metum nostri sollicita-
mus, qui tam noxius est Reip. ut & illa bellicæ Laudis A-
quila, & quem *Scaliger* Pater dicebat, *non hominem sibi*
videri, nisi mortuus fuisset, C. JULIUS CÆSAR, se mo-
ri malle diceret, quàm timeri ; quum malus regii impe-
rii minister sit metus. Quapropter etiam *Lacedæmonio-
rum* *Moyfes*, *Lycurgus* noster, *Pæna*, ut infirmiusculæ
Reip. anchoræ, alteram adjungit, nimirum *Premia*, qui-
bus, ut firmissimis tibicinibus, omnis Reip. salus nititur.
Munera enim virtutes hominum excitant, sedulos, fidos,
splendidos in omni actione, cunctarumq; corporis ani-
miq; dotium studiosos efficiunt. Unde & *Pericles* ait
in *Thucydide* : Apud quos maxima proponuntur virtutis
præmia, in eorum Rep. sunt viri præstantissimi. Et *Pli-
nius* inquit : Eò impendimus laborem atque periculum,
undè honos & emolumentum speretur. Ex præmiis igi-
tur Reip. eò plus accidit commodi, quò plura benè-meri-
tis tribuit, & ipsum dare est ditari, immò quod adem-
ptum, adeptum videtur. Nam ejusmodi liberalitas si-
milis est falcis in pratô, quæ herbam accisam non marce-
scere, sed crescere, sed vigere efficit. Quâ de re *Theo-
phrastus* etiam nihil majus vel magis expetendum in
Rep. esse duxit iis gloriæ stimulis, quibus generosæ men-
tes ad honesta studia agitantur & incitantur. Et licet

A 2 Roma

ut
f-
es
i,
i-
ia

p.
ur.
c,
m-
ui

a-
ad
os
st,
ut

Romani hâc in re regnâsse videantur, qui militibus altiores ordines assignando, laudes & honores eorum publicè cumulando, hastas, phaleras, coronasque pro concione donando, populares ad pericula certatim & cum æmulatione adeunda excitabant; Iis tamen GERMANIÆ CÆSARES vel ad unguem cedere negant & renuunt. Unicum tantum è plurimis, qui pœnâ malos, præmiis bonos in officiô suô retinuerunt, in medium proferam, FRIDERICUM nimirum, nominis hujus PRIMUM ROMANO GERMANICUM IMPERATOREM.

Hic non solùm *Mediolanum* delevit soloque æquavit; sed etiam *Bobemiam*, tunc temporis Ducatum, ad regni honorem & titulum evexit. Hic non solùm *Heinricum Leonem* exauctoravit; Verùm *Saxonia Ducatu* BERNHARDUM quoq; *Anbaldinum* donavit, RUTAq; à *Fratribus* suis secrevit atque se junxit.

Hâc de RUTA cùm prolixius impræsentiarum mihi agendum sit, non possum non trepidare, *Auditores*, cùm lacertos meos librans, & tenuitatem ingenii & eloquentiæ meæ cum hujus provinciæ dignitate & magnitudine conferens, nullo negotio percipiam, longissimè me imparem fore. Quicquid tamen sit, ineptus ac indiseruus haberi malo, quàm meam devotionem erga hanc SERENISSIMAM RUTAM non exercere; præsertim, quoniam de benignitate vestrà, *Auditores Optimi*, mihi liquet, eque silentiô vestro auguror, vos in me audiendo eam benevolentiam, quam soletis, eam attentionem, quam vultus vestri & oculorum in me conjectio tacitè pollicentur, adhibituros esse, idque ut faciatis, etiam atq; etiam rogo, imò obsecro.

Tu,

5.
Tu, DEUS, auxilio præfens succurre loquenti!

Quum omnis institutio, juxta *Ciceronem*, quæ à ratione sulcipitur de re aliquâ, debeat à definitione proficisci: ut intelligatur, quid sit id, de quò disputetur vel peroretur? non abs re sanè me facturum puto, si in præfenti themate prius *definitionem* paucis attingam, quàm ad ipsius rei pertractionem descendam. I. Off. §. 7.

RUTAM itaque SAXONICAM nomino *Coronam Rutaceam*, in *Insigne Domui Saxonie* donatam.

Ruta autem est suffrutex ramosus, maximæ nobilitatis, & virium exploratarum in debellandis & depellendis omnium ferè morborum generibus. Exindè *Rutam* pleriq; derivant à græco *ῥύσμαι*, quod Latinis est *custodire, servare*, item *liberare, & eximere*; quod nimirum saluberima hæc planta corpora confervet, & à morbis & contagionibus liberet. *Romani Etymologi*, qui ægrè linguæ suæ paupertatem produnt, *Rutam* idem esse contendunt, ac *erutum*, quod maximè, ob frequentem usum, *eruat*, quocum & Germanorum *Nauten* convenit, si derives à *rauten* quod *rodere, vellicare & evellere* significat. Ut ut autem sit, & licèt Etymologorum variæ admodum sint opiniones, in hoc tamen omnes conveniunt, *Ruta* ab exploratâ sanandi virtute nomē impositum esse. Peculiaris præfertim ei auctoritas adscribitur propter venena, quorum antidotum præsentissimum ante multa secula habita & credita fuit.

Clearcho enim *Heracleotâ Tyrannò*, omni suppliciorum genere in innocentes cives sæviente, plurimosque nihil tale timentes cicutâ ex improvîso necante, nemo civium prius pedem extra limites ferre ausus est, nisi comestâ *rutâ* contra tyrannicos hos insultus munitus.

De *Mithridate* quoq; , Rege olim potentissimò, & in componendis medicamentis experientissimò, tradunt *Historici*, quod antidotum, è duabus nucibus siccis, item totidem ficis & *Rutæ* foliis viginti, addito salis grano, composuerit, ut ei, qui hoc jejunos sumisset, nullum venenum eò die nocuerit. Unde quoq; nati sunt versiculi de *Rutâ*:

Utilis est valde stomacho, si sæpè bibatur.

Obstat pota mero, vel cruda comesta, venenis.

Hoc Mithridates, Rex Ponti, sæpè probavit,

Qui Rutæ foliis viginti cum sale paucò,

Et magnis nucibus binis, caricisq; duabus,

Jejunus vesci, consurgens manè, solebat;

Armatusq; cibo tali, quascunq; veneno

Quilibet insidias sibi tenderet, haud metuebat.

Sed hâc de re consulendi sunt *Botanici*, nobis heic de *Rutæ* virtutibus sufficiat. Cætera ejus incredibilia fermè admirationeque dignissima effecta in parte posteriori, ubi de *hieroglyphicâ* ejus significatione acturi sumus, fortè recensēbimus.

Nunc iterum ad *RUTAM NOSTRAM SAXONICAM*, quæ est *CORONA*. Corona dicitur ornamentum orbiculatum capitis, quod ex diversâ materiâ diversò modò & fine fiebat. Quædam enim coronæ concinnabantur è ramis *oleaginis*, quædam è *laureis*, quædam è *myrteis*, quædam è *quernis*; quædam coronæ quoq; fiebant ex *hederâ*, imò *gramine*, diversæ tamen ad usum & finem diversum. Coronarum quippe *oleaginarum* usus erat in *Palladis* sacris, cui dicata *olea*; Item in *Olympiis*: Victores

res

res enim *oleastrò* coronabantur, unde etiam *Olea* dicitur
καλλιστέραν & *ἐλαία*, *Olea* in coronariò opere præstantissi-
μα. Inter *quatuor* enim res, quibus in coronandis vi-
 ctoribus utebantur, nobilissimas partes tenebat *Olea*,
 quod patet è versu:

*Quatuor in Græcis certamina, quatuor illa
 Sacra duo superis, sunt duo sacra viris.*

*Sunt Jovis hæc, Phœbiq;, Palæmonis, Arche-
 moriq;.*

Premia sunt Oleæ, Pineæ, Mala, Apium.

Coronæ laureæ in sacris Phœbi adhibebantur, itemq; in
 coronandis victoribus. *Myrtus* quoq; materiam suppe-
 ditabat *coronis ovalibus & sepulcralibus*. Nam *Romani*
 non solum defunctos vitâ homines coronis ornabant,
 sed, infaniâ increbescente, *corvo* etiam illi per celebri,
 qui *Tiberium, Germanicum, Drusum & transeuntem po-
 pulum salutabat*, interemptò funus celebrarunt innu-
 meris exequiis, & coronis omnis generis.

Nostra verò *Corona* ex suprâ adductis materiis
 & herbis non est composita, sed è *RUTA*. Quod
 ipsum singulare ejusdem dignitatis omen & exemplum
 est, quum *nullus auctorum*, quos scio, *CORONÆ RUTA-
 CÆ* mentionem faciat. Omnia enim magnifica cum
 exiguis & contemptis aliquid commune habere nolunt,
 imò renuunt.

Hæc autem *Corona Rutacea* ut plurimum vocatur
RUTA SAXONICA, ut & nos ipsam inscripsimus, item
RUTA καὶ ἐξοχήν, quum hæc sola cæteras omnes nobili-
 tet

tet & extollat; est enim *Serenissima Domus Saxonie In-*
signe. Insignia nomen habent à *signando*, quod res forti-
 ter gestas & insigniter editas designent, vel gentes ac po-
 pulos, vel familias, aut personas discriminent. Sunt e-
 nim non pauci, inter quos etiam *Harsdörfferus*, qui *in-*
signium principia deducunt à *torneamentis*, in quibus ho-
 mines, propter armaturas, internosci minimè poterant;
 quapropter scuta lectissimis quisq; coloribus distingue-
 bat. Verùm enim verò longè antiquiorem insignium
 usum esse, vel ex eò facilè colligitur, quod de *Veteribus*
Hebrais tradunt autores, eos per singulas tribus vexilla
 propria distinctaque habuisse. Et quidem vexillum
Ruben repræsentsse figuram *hominis*: *Juda*, *Leonis*: *E-*
phraim, *Bovis*: *Dan*, *Aquila*: *Isaschar*, *Asini*: *Benjamin*,
Lupi; quibus imaginibus *Jacobus Patriarcha*, morti vici-
 nus, liberorum fortunam & sortem depinxit. Hinc du-
 bio sine sumto principio mos hic ad cæteras quoq; gen-
 tes emanavit. Sic enim Majores nostri in *Tacito* fuca-
 tas colore tabulas, & scuta lectissimis coloribus distincta,
 in bellis gessisse leguntur. Simili modo ex Propheta
Nabum. Nabum capitis secundi versu tertio discimus, *Chaldeo-*
rum clypeos fuisse *rubricatos*; his enim verbis locum il-
 lum *Megalander Lutherus* noster in vernacula effert:
 Die Schilde seiner Starcken seynd roth / sein Heer=Volck
 siehet wie Purpur.
 Hoc namq; priscis temporibus moris fuit, ut diversæ
 cohortes diversis *δείγμασι* discernerentur, ne aliquando
 in tumultu prælii à suis contubernalibus aberrarent. Hoc
 sine prætereà in adversò scutò uniuscujusque militis no-
 men literis erat adscriptum, addito, ex quâ esset cohorte,
 quâve

Nabum.
 II, 3.

9.
quâve centuriâ. Indè tandem evenit, ut factum singulare, & fortiter gestum, scutis adpictum fuerit, & in insigne familiæ abierit. His de causis animalia quoque scutis adrepserunt, veluti *equi auri, ursi, lupi* &c: quod vel illius insignis auctor tale animal occiderit, vel in præliò eorum mores ostenderit. Jus verò concedendorum insignium principiò penes *Imperatores & Duces* fuit, qui uniuscujusque scuto & clypeo monumentum & testimonium virtutis suæ indiderunt. Quùm verò operosius aliquantum esset, crescente hominum virtute, *solum Imperatorem* hâc in re occupatum esse; ad milites emeritos, qui in exercitu consenuerant, (unde quoque *Heer=Olden/* quasi *Heer=Alten/* dicebantur,) jus hoc pervenit. Illustrissimæ *Domus Saxonie* Insigne, RUTA nimirum, non *Feciali*, sed invictissimo IMPERATORI FRIDERICO I. suos debet ortus. Quùm enim *Fridericus* Francœfurti Imperator electus Romam tenderet, quo ab ipsò Pontifice *Hadrianò* coronaretur, illud Taciti expertus est: *Alienigenum Dominium nemo patitur lubens.* Ut enim *Itali* omnes fermè Imperatores Romano-Germanos aspernati, eosque vel armis vel venenò aggressi sunt: Ita etiam huic, Romam properanti, Veronenses sese primò opposuerunt, Coronatumque deinde Romani cum *Mediolanensibus*, apertò Marte, invaserunt, & infelici successu opprimere conati sunt, multis Romanorum Cæsaris armis, pluribus carnificis gladio occumbentibus. Nefario hoc & scelesto incurso irritatus *Imperator* adversus *Mediolanenses*, qui sub face fomes fuerant, plumbeas & gravissimas iras concepit. Hinc in Germaniam redux, coactò *Ratisbonæ* comitiò, omnes hortatur, ultore gladio facinus hoc rescinderent, militesque con-

B

scri-

scriberent, Mediolanum obsessuros, & victuros. Dictum, factum. Urbem obsidione cinctam ipse Imperator ob- equitat, exploraturus, quam pars civitatis maximè debilis, & superato non difficilis, esset. Verum enim ve- rò securius aliquantum urbi appropinquante Impera- dore, *Heinricus Leo*, Saxoniae & Bavariae Dux, loco suo cedens, *Imperatorem* deserit, aegreque elapsus *Partbano Rbetia oppido* sibi propemodum supplicem ingenti fastu contemnit. Exin captâ urbe, soloque adaequatâ, Maje- statis accusatur, quippè qui *Imperatorem*, *ejusque exerci- tum*, perditum ivisset, *Principumque ditiones* ferrò & flam- mâ vastâisset. Judicia verò & comitia defugiens, in con- ventu Herbipolitano, anno supra millesimum & cente- simum octogesimo, exauctoratur, omnibusque bonis pri- vatur.

Hujus in locum à FRIEDERICO I. in eodem Con- ventu DUX SAXONIAE pronuntiatur BERNHARDUS II. Alberti Ursini, Marchionis & tandem Electoris Bran- denburgensis Filius, Othonis Nepos, Magni Saxoniae Du- cis ultimi è Filiâ Pronepos, è gente nobili Principum An- haldinorum & Ascaniensium.

Hic BERNHARDUS, Dux & Elector Saxoniae cre- atus, Urbe *Wittebergâ*, non sine omine, aliisque dona- tus, *insignia coronae Rutaceae* in Comitibus, quae diximus, Würzburgicis, ab Imperatore accipit. Quum enim *Im- peratorem* ad genua ejus fusus orâisset, ut *discrimine ali- quò*, à Fratibus, qui clypeum Ballenstadensem, lignis stra- toriis colore atro & gilvo variatis conspicuum, possi- debant, distingueretur; Imperator *Coronam Rutaceam*, quâ, ad depellendos aestus, ornatus erat, in supplicantis injecit clypeum,

Quod

Quod verò Imperator auctum Dominio insignibus quoq; augendum esse statuerit, causas non habuit ficulneas, sed prægnantes, sed fonticas; *Bernhardi* nimirum *Virtutem, Gentis & Prosapia Canitiem, Supplicationem, humilem, Scientiam militarem, & Gratitude.*

Primam quod attinet causam, *Virtutem*, ex historiarum monumentis luce meridianâ clarius elucescit, *Bernhardum* omnes adeò vicisse Virtutibus, ut eà de causâ & Saxoniam Ducatum, & insignia, acceperit, quod ex verbis Investituræ Imperialis quoq; patet, ita sese habentibus:

In *Bernhardum*, nobis ac Imperio fidelem ac dilectum Principem, conferimus *tractum Saxonicum*, ac munus *Electoriale*, quæ *Heinrico* priori possessori, omni jure postulante adjudicavimus, & TE istis gratiis ac Juribus sublimamus, *ob tua fidelia servitia*, justitiâ exigente, de voce & instigatione Principum Regni nostri.

O summum summæ virtutis testimonium! Hoc enim in loco fidelia servitia nihil aliud sunt, quàm *Virtus*, quâ poluit *Bernhardus*, quamq; in bellò Mediolanensi, in quò *Imperatoris Signifer* fuit, exeruit. Nam

Virtus nescit humi sordida repere.

Virtus alta ferit sidera vertice.

Virtus efficiet te Superis parem.

Virtutis spatio major habeberis.

HIC meruit verum sibi nobilitatis honorem,

hunc genus, & genij nobilitavit honos.

Nam *Virtuti* mentis accessit quoq; *nobilitas gentis.*

Quanta enim *Ascaniorum* sit canities, ut omnes quoque prosapias & stirpes, imò ipsos Arcades, qui se lunâ antiquiores jactitabant, vincant ætate & superent, non potest non notum plerisque esse, & expositum. Non enim, ut stirps *Ottomannica* à primordio tria, aut paullo plus; non, ut *Resp. Veneta*, decem; non, ut *Monarchia Francorum*, duodecim secula numerat; Sed jam ante aliquot seculorum decurias ab *Ascanæ*, *Japeti Nepote*, nomen & virtutem ex *Ascaniâ*, Asiæ regione, in *Germaniam* intulit. Cum Caycis enim & Cimbris in Septentrionis plagas commigravit, eâ inusitatâ fortunâ, ut *Ascanii*, à primo adventu inter incredibiles propemodum rerum humanarum vicissitudines, tot populorum confusiones, tot regnorum mutationes, tot ruinas imperiorum, & sedes retinuerint primas & nomen. Quin imò nobilissimus hic sanguis totum ferè orbem terrarum implevit. In Italiâ enim Principes *Ursinos*, in Bohemiâ Dynastas extinctos jam *Rosenbergios*, & in Germaniâ tres illustrissimas condidit familias; quarum una *Marchionum Brandenburgensium*, quæ exspiravit, altera *Ducum Saxoniarum inferioris, Angariæ & Westphaliæ*, & tertia *Principum Anhaltinorum*. Ex hac antiquissimâ & nobilissimâ familiâ originem suam trahit *Bernhardus*, ut vel saltem hanc ob causam à *FRIDERICO I. Dominio & RUTA* donari & affici promeruerit. Licet enim plerique veterum, ut est in probatissimorum auctorum commentariis, de generis dignitate & nobilitate minus honorificè locuti sint, eamque nullo propè loco habendam esse consueverint; ideò quod ad dignitatem cujusvis hominis pertineat, ut probet, non quibus quisque natus, sed qua-

qualis ipse sit; Tamen non defuerunt alii, minimè contemnendi iudicii, viri, qui generis nobilitatem omnium hominum favore & prerogativâ dignum iudicârunt. Idque ex duabus potissimum causis. Una est, quod, cum corporum temperatio eadem ferè in parentibus & liberis esse soleat, easdem illi ab ipsâ nativitate contrahant virtutes, & ad easdem res naturâ procliviores sint ac propensi. Ut enim peritus venator è vestigiis novit, quâ vastitate aut qualitate cervus sit, etiamsi nunquam viderit ipsum: Sic in virtutibus majorum, veluti in speculò, posterorum inspicere mores interdum licet. Altera causa est *bonesta educatio, & commemoratio virtutis & glorie majorum*. Hæc enim ante oculos posita altè in pectus descendit, & acerrimos ad imitandum stimulos subdit animis, imò à vitiis avocat. Parentum quippe virtus lux est, quæ culpas & vitia soboli manifestat. Undè egregiè *Juvenalis* cecinit:

*Quod si præcipientem rapit ambitus atq; libido,
Incipit ipsorum contra te stare parentum.*

Nobilitas, claramq; facem præferre pudendis.

Sed non solum nobilitate, verum *supplicatione humili* permotus Imperator, RUTAM Bernhardo donavit. Ad pedes enim Imperatoris venerabundè, ut fidelem & pi-um Vasallum decet, abjectus *Imperatorem* eò redegit, ut ei *novum & à fratribus distinctum Clypeum & insigne* concesserit.

Et hæc ex tertiâ causâ quarta quoq; promanat, *Scientia* nimirum *militaris*, quæ ejusmodi Insignium ornamento omnium est dignissima.

Quum enim, ut supra diximus, insignia sua incuna-

bula è bellò sumferit, justitia ipsa exigebat, ut tam strenuus & fortissimus heros aliquò clypei ornamento, virtutis suæ monumento & testimonio, afficeretur. *Bernhardus* nimirum *noster* non solùm scientiam suam militarem in bello *Mediolanensi* omnium clarissimè exeruit, sed etiam in expeditione contra *Ludovicum*, *Thuringiæ Landgravium*, & *Vandalos* comprobavit. Quorum primum, qui bellum in *Bernhardi* nostri ditionem attraxerat, fortiter fugavit, regnumque suum armatâ manu defendit. *Vandalos* verò armis & bello fregit, simul & bellipotentem gentem domuit. Unde *Reusnerus* in *Ice-ne Ducum Saxonix* canit:

*Ascanio Princeps BERNHARDUS sanguine
natus,*

Primus Saxonici Principis arma gerit.

*Juris amans, Divûm metuens, animosus in
armis:*

Libertas Patriæ, quo duce, sancta viget.

*Quod manet imperii Germania laudibus
aucta,*

Virtuti magni debet id omne Ducis.

Vandalus expertus præstantis robor a dextræ,

Agnovit Dominum quem coluitq; suum. &c.

Floruit verò *Bernhardus* non bellicâ tantùm, verùm etiam gratitudinis & justitiæ laudibus. Non enim solùm in *FRIDERICUM I.* qui ingentibus beneficiis eum cumulaverat, grato semper & fideli fuit animo, ita ut & *pro Rege, Lege & Grege* sanguinem, necessitate postulante, for-

fortiter profudisset; Sed etiam post ejus obitum *Imperii Romani libertatem* grato omninò animo vindicavit. Nam molitiones HEINRICI VI. Imperatoris, pecuniâ Anglicâ & Bohemicâ Imperium Romanum licitantis, ac hereditariò jure in suos derivare satagentis, tribunitiâ veluti intercessione masculè fregit, effecitque, ut quæcunq; eâ in re promissa, constituta, actave vel sermonibus, vel literis vel largitionibus essent, irrita planè fierent. Neve alius posthac frontem & audaciam hujusmodi patrandi sibi sumeret, obicem quasi posuit, ut nemo deinceps facere auderet. Hic, hic animosus ille heros est,

Libertas Patriæ, quò duce, sancta viget.

Hoc factum tanti æstima ac cole, quanti ne decem Cæsaris triumphos; quum facilius sit, exercitum fundere, quàm seipsum vincere, & tot armatis, quos procul dubio HEINRICUS VI. ei obtulit, resistere, quos tamen mirabili exemplò omnes sprevit, victor & ipse sui extitit.

Unicum adhuc hâc in parte addere nostrum erit, erroneam nimirum nonnullorum sententiam, statuentium, Bernhardum nostrum, vel, nescio quem, Anhalinum, amore Venetæ, & ut quidam addunt, mercatoris filia, irretitum & jamjam discessurum arrabonis causâ divisisse fertum Rutaceum, dimidiatumque insignium loco clypeo indidisse. Hæc verò sententia ut absurda ab omnibus eruditis historiographis exploditur, imò ab *Albinò* historia colus, anicularum nenia & historiæ nesciorum puerile figmentum vocatur.

Quin imò repudianda est, ut indigna tantò Principe. Referunt enim hanc ob Rebeccam ministrum quoque

que Mercatoris sese præbuisse *Bernbardum*, quod quoq; lanæ rationi contrarium esse videtur, quum *Saxonum Saxea*, hoc est *maxima & ferventissima fortitudo*, nunquam *Sardana palos*, aut *Omphala adoratores*, sed *Hectoras*, sed *Achillas*, sed *heroas produxerit*. Inter hos non infimas duxit *Bernbardus noster*, qui suâ magnanimitate & fortitudine quoq; effecit, ut, uti jam supra dictum, & *Ruta Saxonica* Herbipoli primum in clypeo suô, annuente & concedente FRIDERICO I. floruerit.

Ne verò aliquis fortè fortunâ, & sine singulari DEI Ter Optimi providentiâ, evenisse sibi persuadeat, quod *Ruta Insigne Ducum Saxonix*, à FRIDERICO I. Bernhardo, ejusque posteris, collata sit; agite, hieroglyphicam ejus significationem, & quomodo Domui Saxonix congruat, ponderabimus, adeò tamen strictim & verborum eâ parsimoniâ, tanquam nos audiat Lycurgus. *Ruta* à DEO maximâ virtute prædita est eò, quod repugnet omnibus venenatis animalibus; unde mustelæ, dum cum serpente dimicaverint, cibo ejus armari perhibentur; Serpentibus enim odor Rutæ maximè molestus est & odiosus. E contrario *Ruta* efficit, ut ficus & vites vicinæ lætiores crescant, bufones & serpentes verò, quæ sub iis habitare & latitare amant, vel umbrâ suâ arcet & depellit. Convenit itaq; *Ruta* Domui Saxonix, ut *Religionis orthodoxæ hieroglyphicum*. Cum enim benignissimus DEUS noster, pro singulari clementiâ & amore, his in locis dulcissimam ficum saluberrimamque verbi sui vitem ferere, Filioque suo unigenito, Verbo prædicato veroq; SS. Cœnæ usu Ecclesiam colligere vellet, Rutam nostram Serenissimam in Clypeum Illustrissimæ Domus Saxonix planta-

plantavit, ne serpentes & bufones (quibus in Apocalypsi hæretici depinguntur) veræ Religionis ficum roderent, contaminarent, vel perderent. Quod & felici per DEI gratiam successu evenit. Nam postquam à Divò Luthe- rō præstantissimum Verbi divini semen in his nostris ter- ris sparsum esset; invisum & venenatissimum genus ho- minum divinum hoc germen in primò flore extirpare & perdere sategit. Verum enimverò Potentissimi Prin- cipes Saxonix nec dignitati, nec ditioni, nec vitæ ipsi in- tuendâ religione orthodoxâ pepercerunt. Quænam, quæso, bella Principes nostri Saxonici susceperunt, quò Religionem custodirent, & contra omnem omnium ho- stium furorem defenderent? Vita enim ipsa occisa ac mortua ipsis videbatur, si pietate & orthodoxâ Religione careret. Quapropter ita animos imbuerunt ac incende- runt amore pietatis, atque religionis, præ quibus totius orbis opes meritò sordent, ut iis nihil pretiosius, nihil pri- us, nihil antiquius esse æstimaverint. Beatissimus im- primis noster JOHANNES GEORGIUS I. *Dux & E- lector SAXONIÆ*, PATER PATRIÆ ET DEFENSOR RELIGIONIS, non semel pro sincerâ & orthodoxâ Re- ligione, *serto suo Rutaceo* coronatus stetit in armis, si ne- scio à quò Lojolâ inauspicatò partu editi, & in exitium Religionis educati, in turbendam & evertendam Religio- nem innumerabilibus copiis, locustarum & scarabeo- rum more, irruere. Stringendum quippe vibrandum- que Imperii Ensem putabat, quandocumque sinceritas or- thodoxæ Religionis erat periclitatura. His sanctissimis armis *Religioni*, quæ ante oculos flendo, orando, obse- crando

C

crando

crando vindicias poscens jacere videbatur, in nostris regionibus securè degendi & regnandi copia sæpissimè data est, hodieque conceditur. Serenissimus quippe & Potentissimus noster JOHANNES GEORGIUS II. *Dux & Elector Saxonie*, Princeps ac Dominus meus Clementissimus, orthodoxæ Religionis tutissimum semper asyllum præbuit, eam contra æstum cujuscunque impendentis persecutionis masculè defendit, *Rutâq; suâ* protexit. Nec non ceteris *Serenissimis Rutigeris* nihil tam curæ & cordi est, quàm conservatio veræ Religionis, cui Urbes, Tempa, Scholas, Academies, Leges, Judicia & Disciplinas dicarunt, in quibus à Magistratibus, Sacerdotibus & Præceptoribus propagatur, ut exindè minimè dubitandum sit, quin Religio, *Christiq; Ecclesia*, sub hac *nostrâ Ruta* semper tuta, vegeta, & viridis futura sit; *Nam*

*Heic ubi RUTA nemus facit, umbram querit
in æstu*

Religio, & RUTA, tuta, virente, viret.

Percepistis, *Auditores Optimi*, primum nostræ RUTÆ hieroglyphicum; sequitur *alterum*, in quò cum *Domò Saxonie* convenit, ut *signum Victoriae*.

Coronas antiqua & communia virtutis fuisse præmia, quæ victoribus dari consuerint, hinc indè autorum legere & colligere venit. Imperatoribus enim, devictis hostibus, aureæ coronæ mittebantur in honorem triumphi. Illi etiam, qui urbem obsidione solvisset, hostes abegisset, civesque à morte vindicasset, corona graminea oblata fuit. Urbem quoq; qui cepisset, donabatur coronâ aureâ. Alii Victores aliis condecorati fuere coronarum

narum generibus. Corona itaque nostra Rutacea est signum Victoriæ. Hujus rei veritatem in primò Rutæ possessore, BERNHARDO, Vandalorum domitore, Ludovici victore, experimur. Videmus in MAURITIO, ELECTORE SAXONICO, qui duodecies militatum abiens nunquam, nisi victor rediit. Non enim solummodò *Turcas, Gallos, sed & alios hostes* felici semper successu superavit. Ruta nostra insuper ut victricem sese ostendit in DIVO JOHANNES GEORGIO I. gloriosissimæ memoriæ, qui non tantum splendidam è *Λευκός* & *Pra-genfi* reportavit victoriam, sed etiam, cum illi, quibus vix opibus suis sceptrum, quæ exciderant, reddiderat, novo planè & ad omnem ætatem memorabili referendæ gratiæ exemplo, totam ferè Europam contra eum armarent, Coronam hanc Rutaceam cum tribus Septentrionalibus jungens, non modò non victus, sed penè victor evasit. Imò Ruta nostra singulis sæculis, quorum ab ejus incunabulis jam quintum incipiet, virtutem suam victricem declaravit.

Quum enim Serenissima Saxonix Domus, Albinò computante & demonstrante, *plerunq; centesimo* anno bellum *gravissimum* (non audeo dicere *fatale*) experiatur, non possumus non ex eò colligere: Rutam esse plantam triumphalem, & signum victoriæ Saxonice certissimum, quum omnia ferè bella fortiter sustinuerit, & superaverit. E modò dictò hieroglyphicò *tertium* emanat: *Symbolum Pacis*. Coronarum apud antiquos nullus erat usus in bellò, sed hostibus fuis & certaminibus finitis in triumphis & conviviis exhibebantur, inde

In Com-
ment. nov.
de Misn.
tit. XX. p.
m. 530. in
fin.

quoque Ruta nostra non belli, sed pacis, signum est. Ita enim Albinus de insignibus Saxonibus Illustrissimo Electori AUGUSTO B. M. quondam cecinit:

*Hos Enses Astræa tibi dedit, Inclyte PRINCEPS,
Iustus enim illius munus in Orbe geris.*

*Hoc SERTUM PAX alma tulit, tu cujus es au-
tor,*

*Quæ, divina etiam verba, vigente vigent.
FERRA notant bellum, PAX RUTÆ in imagi-
ne picta est,*

Hæc gerit invicti SAXONIS arma DOMUS.

Ruta igitur Paci propria & dicata maximè infensa est armis, iisque, qui castra sequuntur. De milite enim haud ignavò aut timidò refert Harsdörfferus, quod ei tantæ abominationi *Ruta* fuerit, ut, si ejus fragrantia è longinquò naribus illius objecta fuisset, statim se in pedes dederit. Et quidni *Ruta* milites fugaret, quum & venena prohibeat, quæ non nocent nisi comesta vel tacta; Miles verò, juxta Germanorum proverbium, imò veri-verbium, in sacco per regionem portatus, non potest non obesse & nocere. Ingentes sanè DEO T. Optimo debemus gratias, quod hæc Rutâ saxi Martis filios à finibus & regione nostrâ arcere, nosq; sub ficu & vite nostrâ incolumes, sospites, omniq; re, si non affluentes, tamen non egentes, degere voluerit. Ingemiscamus igitur, Deumq; prece-
mur: ò alme DEUS,

*Da, PAX, quæ totò nihil est præstantius Orbe,
Floreat, hæc RUTA vindice, tuta diu!*

Ru-

Com-
ment. de
Mish. in
pr.

Cent. 2.
hist. 147.
des grosse
Schaup-
lätze
Zust und
Lehrrei-
cher Ge-
schichte.

Rutam insuper, ut *Symbolum vigoris*, quô Illustrissima
Domus Saxoniae ab incunabulis usq; gavisâ est feliciter,
nobis *Taubmannus* depingit, sequentibus verbis:

Ruta virore suum gerit immortalis honorem,
Defluvioq; patet foliorum obnoxia nutu.

Di, quantum fuit augurium, quantum instar in
illâ!

Quippe sub augustâ numerosi Caesaris arâ
Et mundi sceptris Aquilæq; biverticis alis
SAXONIAE RUTATA DOMUS felicibus ausis
FLORUIT, & FLORET: post & FLOREBIT.

O unum hoc

Quaeso representantes meliori numine votum,
Qui, DEUS, â saeculis, saeculorum in secula, FLO-
RES!

Perennis hujus florîs atque vigorîs certissima omina
eluxerunt in tot & tantis belli furoribus, quibus nun-
quam RUTA nostra marcuit, sed pressa restitit, floruit,
crevit, & vigit, non aliô modô ac PALMA, quæ, mune-
re Divûm,

Quò magis opprimitur, tantò magis exit in au-
ras

Ætherias, Victrix, & rectò palmite surgit.

O, ÆTERNE DEUS, qui tam
propitius & clemens in hanc tuam

RUTAM semper fuisti, qui in Religionum caligine & tenebris ORTHODOXAM SINCERITATEM, in bellō VICTORIAM, in discordiis PACEM, in persecutionibus VIGOREM RUTÆ TUÆ largitus es, in posterum quoq; eam protege, defende, & custodi,
 UT VIGEAT, quamvis ventō quatitur & imbre,
 UT VIREAT, quamvis sæva repugnet hyems!

Coronidis loco, appendo ultimum Rutæ hieroglyphicum, quod est *Symbolum Æternitatis*.

Ægyptii Æternitatem delineaturi coronam vel anulum depinxerunt, ut qui principiō & fine destituatur. De *Coronâ nostrâ Saxonicâ* equidem affirmare non possumus, quod principium non habuerit, ejus enim incubula jam pridem in principio oratiunculæ evolvimus & explicavimus; Quod verò finem habitura non sit, non possum non affirmare. Non dicam jam de omine, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo, Francofurti in inauguratione Divi AUGUSTI de *perennitate*

nitate Rutæ edito ; Non recensebo pericula, è quibus tu-
ta virensque semper evasit ; Omitto allegare Rutæ æter-
nitatis indicia ; Hoc unicum, in testimonium sententiæ
meæ, adducam, impossibile esse, ne ad finem usque mun-
di perennet, quum *Verbi divini*, quod in *æternum* dura-
bit, *patrona* sit & propugnatrix. Illibata itaque & salva,
ad ultimum usque tubæ clamorem, persistet hæc nostra
RUTA, eo, quod veram & sinceram Religionem non mo-
dò colit, sed etiam ramis suis protegit, defendit, tuetur, &
propugnationem, pietatis plenam, pro eâ suscipit.

Josephus quidem excelsæ & multorum annorum
Rutæ, quæ Macharunte fuit, mentionem facit : Erat, in-
quit, in ipsâ regia *Ruta*, mirabilis magnitudinis, à nullâ
enim *ficu* vel celsitudine vel magnitudine vincebatur.
Ferebant autem, eam ex Herodis temporibus perseverâsse
: mansissetque ulterius, sed à Judæis, qui locum cepe-
rant, excisa est. Non contemnendæ raritatis, magnitu-
dinis & ætatis Rutam Josephi fuisse, haud diffiteor, ut quæ
solitam rutarum longitudinem & dimidium fermè secu-
li excefferit.

Verum enim verò *Ruta Saxonica* hanc, & si major
aliqua fuerit, multis parasangis superat & antecedit. Nec
enim solum *ficu*, sed nec *Cedris Libani* (quarum proce-
ritas & celsitudo in SS. quoque literis extollitur & prædi-
catur) magnitudine superatur ; quippè quæ ramos suos
ad mundi finem usque, ad thronum Cæsarianum, imò ad
ipsius coeli culmina, protendit.

Ruta insuper Josephi ab Herodis temporibus usq̄ ;
ad Hierosolymæ desolationem duravit, quod non adeò
ma-

magnum temporis est spatium. Verùm *Ruta Saxoni-*
ca quintum jamjam seculum à nativitate suâ attinget,
 quod infallibile Æternitatis ejus est testimonium. Ma-
 charuntica quoq; *Ruta* sceleratâ tandem Judæorum ma-
 nu extirpata est. *Nostra* verò, quæ

Tuta viret, manuum Summi sub tegmine JO-
VÆ,

tale quicquam non metuit, nec patietur. Virtute quip-
 pè suâ hostes fugat, sociataque *Imperii Ensibus*, fundit &
 enecat. Igitur

O GLADII æternum rutilent, & RUTA vi-
rescat,

nec FERRUGO illos occupet, hanc nec hyems!
Sed vireat Illustrissima hæc Rutæ Saxonica, vigeat, flore-
at, salva, integra, illibata, nullis intermori-
ritura seculis. &c.



ULB Halle
004 779 800

3





4842

R

BUD
SAXON

MA

DR

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Kodak
LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

XO

atitudinis

673.
TORALI

STRIS MAR-
RIORIS,
M Co-

toriâ,

TUBRIZ.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

MANNI,

V c
221

